



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Quæstiones aluquot circa materiam Diaconatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

3. Et quidem sicut in Subdiaconatu, ita hic duplex adest opinio. Nonnulli enim, ut Vals. Sotus, Val. Regim. apud Leand. de Ord. d. 3. q. 12. G. Hurt. de Ord. diff. 12. Castropal. de Ord. d. vnic. p. 4. n. 10. putant traditionem Evangelicorum cum sua forma esse matricem & formam adequatam Diaconatus. Nonnulli vero ut Bellar. lib. 1. de Ord. c. 9. Coninch. disp. 20. disp. 7. n. 62. Corn. à Lap. in cap. 6. Alorum March. de Ord. tract. 2. p. 7. c. 2. Sanch. in conf. lib. 7. c. 1. d. 3. Averf. q. 2. scilicet 6. alique dicunt esse parialem, quæ cum prædicta traditione libri integretur adequatam. Probabilis est hoc posterius, quia Eugenius in Decreto Fidei ait, Diaconatum conferri per libri Evangelicorum traditionem, & Concilium Carthagenense Quartum c. 4. assignat pro Ordinatione Diaconi impositionem manus. Ne igitur hæc duo dicta sibi repugnent, vel certè, ut coherant, expeditius dicendum est, hunc Ordinem per alterutrum inadæquatè, per utrumque integrè, & adequatè conferri, atque adeo Eugenium, & Concilium solum in iis verbis assignasse materiam inadæquatam. Quondam imprimitur Character, an duplex gratia conferatur, & similia, sunt questionès à Scholasticis expendendæ.

4. Munus Diaconi, id est, Ministri Sacerdotis, est assignare Proximè Presbytero sacrificanti, id quod involuit multa, sed præsertim prærogativam legendi Evangelium in Missa. Munus etiam ejusdem est ex præscripto Sacerdotis Eucharistiam ministrare quando vrget necessitas, ut item Sacrorum lotioni assistere: quæ duo ego satis clarè prosecutus sum in opusculis de comm. c. 6. n. 1. & in opusculis de Sac. Missæ, l. 1. cap. 2. §. 2. ibid. lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 2.

5. Semel quæsitum fuit, An Diacono liceat, deferre Pixidem, in qua sint sacræ formulæ de vno altari in alterum?

Respondimus licere, cum Leand. de Ord. d. 2. q. 38. March. ibid. citatus quia ex Sancto Thom. 3. p. quæst. 82. art. 3. ad primum, Diaconus debet habere potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum. Confirmamus, quia ex quotidiana praxi Diaconus, pro solemnibus Processione, vel expositione, Pixidem, seu Lunulam, in quibus est Eucharistia, educit à Sacratio, vel à sublimi loco sumit, adducitque in manus Sacerdotis.

6. Quæsitum iterum fuit de munere prædicandi Verbum Dei: Et putavi cum Leand. de Ord. d. 2. q. 26. & 29. hoc munus esse proprium Diaconi, neque enim putandum est, tradi illi Evangelii librum, ut eum solum legat, verum etiam, ut, si aliàs est idoneus, illud interpretatur, & Fidelibus euulget.

Quicquid ergo dicant aliqui, ut Chamers. & Med. apud Leand. citati id concedentes Diaconis, solum, quando adest penuria Sacerdotum: mihi enim durum videtur, Ecclesiam velle prohibere illis officium, quod ex propria ordinatione ipsis competit. Multo magis durum videri debet Castropalao, de Ord. d. vnic. part. 4. num. 11. qui fatetur, materiam adequatam Diaconatus esse traditionem Evangelii, ut denotetur, inquit ipse idem, munus Diaconi esse legem Evangelicam prædicare.

§. II. Questiones aliquot circa materiam Diaconatus.

1. Si non tradatur liber Missalis (ut certè solet) sed alius liber continens Evangelia, vel eorum partem, Inquiri, an promotio Diaconi validè consistat?

Respondeo, validè consistere, quia jam jam adsunt Evangelica, quod solum requiritur.

2. Inquiri iterum, Quid si solum tradatur liber Sacerdotis, vel liber Exorcismorum, vel Concilium Tridentinum, vel similis liber Evangelium non continens?

Respondeo, Non fore ordinationem validam, quia, sic, non adest Evangelia, quæ significat formam, quam ordinans profert. Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.

3. Inquiri Tertio, Quod si tota sacra Scriptura tradatur.

Respondeo, fore certè validam ordinationem, quia Evangelia jam adsunt. Unde idem dicendum erit, si tradatur solum Testamentum novum, non vero, si tradatur solum vetus Testamentum, quia in novo adsunt Evangelia, in vetere non item.

4. Quod si traderetur liber continens solum acta Apostolica, Epistolæ S. Pauli, & Apocalypsim, incerta mihi esset ordinatio, & sub conditione repetenda, nam quavis in actibus, aliisque prædictis libris adsit doctrina Evangelii, non sunt tamen Evangelia.

CAPUT V.

De Sacerdotio.

§. I. Quid sit, ejusque materia, forma, & effectus.

1. Sacerdotium est Ordo Sacer, per quem datur potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, ac remittendi Fidelibus peccata.

2. Ejus materia, & forma duplex est. Prior est Calix, cum Vino, & Patena cum Hostia, earumque traditio. Forma est hujusmodi Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missæque celebrandi, tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Domini.

Posterior est ultima impositio manuum, ab ipso solo Episcopo facta ipsi Sacerdoti cum his verbis tanquam forma, Accipe Spiritum Sanctum, quorum remissionis peccata remittuntur eis, & quorum retinearis, retenta sunt.

3. Dixi (ultima impositio) nam in solemnitatibus Ordinationis Sacerdotis præcedit alia impositio manuum, facta ab Episcopo ordinante, & ab aliis tribus saltem Sacerdotibus Ordinationi assistentibus, super caput Sacerdotis ordinandi, sicut etiam præcedunt aliæ Cærimonie, puta impositio vestimenti Sacerdotalium, sacra Unctio manuum, &c. quæ omnino licet non in momento, de substantia tamen nequaqua non sunt, quidquid dicat De Lugo, de Sac. in gen. d. 2. scilicet 5. a num. 90. putans prædictam manuum præcedentem impositionem esse de essentia.

4. Est autem, & hic duplex opinio. Non pauci enim ut Val. Bonacin. Nussi, alique apud Leand. de Ord. d. 3. q. 6. & apud Averf. de Ord. q. 2. scilicet 8. putant, esse materiam, & formam adequatam Sacerdotii solum traditionem dicti Calicis, & Patenæ cum Vino, & Hostia cum suis verbis. Non pauci autem, ut Layman. G. Hort. Gran. Filiuc. Campan. De Lug. Marc. alique cit. à Leand. & Aver. citat. Item Bellar. lib. de Ord. c. 9. & Sanch. l. 7. conf. c. 1. dub. 3. putat, utramque esse adequatam, alterutram vero esse inadæquatam.

6. Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia in Conciliis, Patribus, & sacra Scriptura. Ordinatio Sacerdotis semper vocatur impositio manus, ut notat erudite Bellarm. loc. cit. Cum ergo nos modo n. 3. excluderimus illam præcedentem impositionem manuum, hanc excludere non possumus, at quia adequata sine dubio non est, erit omnino inadæquata. Cæteras questionès, & sanè multas hinc pullulantes lege apud Scholasticos, dummodo semper certum sit Apostolos fuisse verè Sacerdotes institutos à Christo in ultima Cæna, ut definit Trid. sess. 22. Can. 2.

Munera Sacerdotis præter munus sacrificandi, seu conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & absolvendi à peccatis, multa sunt, & omnibus obvia: nam propterea non sunt hic cum lectorum rædico transcribenda. Inter cætera illius etiam est, prædicare Verbum Dei, sed cumulativè cum Diacono, propter superius dicta cap. 4. §. 1. num. 6.

§. II.